



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm  
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

**Mayer, Christian**

**Coloniæ Agrippinæ, 1635**

7. De beneficio iustificationis

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

## VII.

## De Beneficio Iustificationis.

I. **D**EUS, in cuius manu sunt corda omnium filiorum hominum, sicut lutum in manu figuli formantis ex eodem luto quædam vasa in honorem, quædam in contumeliam; te, uti ab æterno voluit, præ tot millenis alijs Christianis, qui vel susceptam fidem eiurarunt, aut in hæreses aliã; gravia scelerã prolapsi sunt, nec vnquam, iusto Dei iudicio, resipuerunt, ideoque æternum perierunt; te, inquam, quantumvis indignum toties in hæc & illa peccata lapsum misericorditer erexit, in gratiam, velut prodigum filium, recepit, stolamq; innocentie baptismalis perditam aut defædatam, tibi restituit; cum semel spontè à Deo aversus, nunquam fuisses ad eundem iterum conuersus, nisi ille te respexisset, reuocasset, retraxisset in charitate perpetua, miserens tui.

Quò miseriarum deuenisses, si tibi gratuita gratia defuisset eius, qui erigit omnes elisos. Et de quo Veritas ait: *Ioan. 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit illum!* Humilitas, gratitudo, amor, zelus peccata compensandi, feruor spiritûs.

II. Nec



II. Nec solum lapsum toties te erexit, sæpiusque relapsurum tenuit, atque à pluribus & grauioribus casibus præseruauit, sed etiam semel receptum in gratiam tot annis in statu gratiæ conseruauit; aut certè, si culpa tua relapsus es, conseruare paratus fuit, ac deinceps est paratus; tot occasiones relabendi semouendo; tot præsidijs gratiæ te præmuniendo; tot media in statu gratiæ perseuerandi subministrando. O quàm rara & hæc gratia tibi præ tam multis inter continuas peccandi illecebras, labendi occasiones, & salutis discrimina iugiter naufragantibus, & quidem gratis est exhibita; eo fine, ut velut domesticus Dei & hæres regni factus, in spe ineffabiliter beatorum delicias prægustare incipias in hac uita, & iisdem plenius perfruaris in futura. Affectus iisdem repetendi.

III. Insuper te, præ tam multis alijs, non solum à grauioribus ruinis hucusque præseruat; sed etiam tot inspirationibus, impulsibus, alijsque auxilijs gratiæ extraordinarijs tam suauiter & efficaciter ad perfectiora semper extimulat; ad continuuum in uia perfectionis progressum faciendum excitat; ad donum perseuerantiæ, & brauium.



uium excellentioris gloriæ apprehendendum inuitat! quando illa rarior gratia, quando paucioribus, & quidem te gratioribus & dignioribus concessa! in quam miserabili statu fuisses, esses, ac deinceps fores, si tibi tot incitamenta, tot exempla, tot gratiæ præfidia, quibus abundas, defuissent, deessent, aut deinceps defutura essent! His expensis ijdem ferè affectus cum propositis practicis strenuè tantæ gratiæ cooperandi possunt subiungi.

3. Hebdom.  
post  
Pascha.  
I.

Dominica III. post Pascha.

De modico. Ioan. 16.

I. **M**odicum, & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me.  
Quam tenero paterni amoris affectu pius Pater mœstis filiis prædicat breuem suum ab ijs discessum, primum quidem per passionem, postmodum porro per ascensionem: & celerem reditum, primum per resurrectionem, deinde per felicem eorum ex hac vita ad se translationem. Quod rotum tempus intermedium cum omnibus intercalaboribus, persecutionibus & cru-

cia-